

LVNÆ DIE 18 M. OCTOBRIS A. 2004

A.d. XV Kal. Novembres a. MMIV

I 2 2

M E L I S S A

AMICE LECTOR SIVE CREDIS SIVE NON  
XX ANNOS

IAM SVM NATA NEC MINVS IN ME GERO  
TOTAM ANTIQVORVM SAPIENTIAM ET  
NOSTRORVM ÆQUALIVM STVLTITIAM  
QVOD AMICI MEI ERASMI STVLTITIA  
TIBI IAM PRIDEM SVASIT LÆTEMVR ET  
VNA FORTVNAM PROPINEMVS LATI-  
NITATI LATINIS LECTORIBVS EISQVE  
OMNIBVS QVI VT PAR EST LOQVNTVR  
LATINE



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE SODALITATIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / http://users.skynet.be/Melissalatina

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## IAM ANTE VIGINTI ANNOS...

LUNAE DIE 2<sup>o</sup>m. APRILIS  
a.d. IV NONAS APRILESa<sup>o</sup> 1984<sup>o</sup>  
MCMLXXXIV

Nus 1



... in lucem editus est primus Melissæ fasciculus, cuius frontispicium hic exhibetur. A cunabulis periodicum nostrum maturuit aspectumque mutavit. Immutata tamen adhuc adest Ægyptiaca apicula, insigne nostri incepti. Apiculam consulto elegimus quia aculeo prædita est ; volebamus enim Melissam stimulum fieri, quo concitarentur Latinitatis cultorum animi. ¶ Pro viribus nostris consilio nostro stetimus et cum multis Latinitatis vivæ fautoribus optimam frugiferamque consuetudinem iunximus. Adhuc vero efficere non potuimus ut inceptum nostrum a re publica haberetur res publicæ utilitatis ; regimen Belgicum potius intestinas dissensiones fovet quam Latinitatem. ¶ Sunt tamen in orbe terrarum nonnulli homines, qui sermonem Latinum vivum valuerunt in publicum producere. Duo præsertim nobis exemplo sunt : Tuomo Pekkanen, qui, una cum Gregorio Pitkäranta, emissiones Latinas de rebus hodiernis tractantes iam amplius decem annos apud Radiophoniam Finnicam prospere curat ; alter Terentius Tunberg in America Septentrionali, Lexintoniæ in civitate Kentukiana, magisterium ante nonnullos annos in studiorum universitate creavit, ubi lectiones coram alumnis fiunt Latine. ¶ Sodalis noster Christianus Laes, qui linguam Latinam docet in oppido Brasschaat in collegio Sancti Michaelis, ibi discipulis præbet liberam Latinitatis vivæ institutionem et multos allicit ; sit hæc schola, hic magister ceteris exemplo (vide <http://www.sintmichiell-brasschaat.be/secundair/project/levlat/levlat1.htm>). ¶ Societas Circulorum Latinorum recenter condita est, impellente Avito Gratio Garseio, cuius propositum est efficere ut unus alterum melius noscat atque singuli

ceterorum experientia fruantur. His iuvantibus circulis in animo habemus indicem conficere eorum hominum, qui in orbe terrarum Latinitatem vivam colunt vel ei favent. ¶ Libellum bipertitum, i.e. lingua Latina et vernacula scriptum, paramus quam latissime diffundendum, quo cum breviter tum dilucide explicetur non licere mortuam vocare linguam, quæ, per multa sæcula postquam nemini iam esset sermo patrius, fuerit dilectum instrumentum communicationis inter doctos totius aræ cultus Europæi ; ingravescentes nationalismos, qui duobus superioribus sæculis cohærentiam cultus Europæi consulto fregissent, usum linguæ Latinæ tollendo, populos ad cladem duorum bellorum mundanorum duxisse ; operam esse dandam ad usum linguæ Latinæ restituendum, qui gentium familiaritatem foveat et cultui Europæo suam traditam universalitatem reddat. ¶ Latinitas viva Mæcenatibus caret ; hi sunt exquirendi ; nihil enim fit sine pecunia.

## MELISSA

## sodalitas perenni Latinitati dicata

Hoc est novum nomen nostræ societatis non lucrosæ ; nam ante nonnullos menses administratio publica nos monuit legem de societatibus non lucrosis mutata esse, unde fiebat ut iam non liceret societatem nostram « fundationem » vocare. In nova lege, vocabulum « fondation » solum tribuitur societatibus, quæ quoddam capitale servant, cuius fructus tribuuntur ad certam causam. Itaque novum nomen post longam cogitationem elegerunt administratores. ❀

Gaius LICOPPE

## DE RATIONIBVS VARIIS

QVIBVS HOMINES VERBA LATINA ÆTATE LITTERARVM RENATARVM ENVNTIABANT

– scripserunt Milena Minkova et Terentius Tunberg –

Permuli homines docti tam medio, quod dicitur, ævo, quam ætate litterarum renatarum, soliti esse videntur Latina verba plus minusve secundum sonos sui quisque vernaculi sermonis enuntiare. Itaque tot fere fuere linguæ Latinæ pronuntiatus quot linguæ dialectique vernaculæ. Vigente Romano imperio antiquo, sermo Latinus quibusdam scilicet hominibus fuit patrius et vernaculus, quos penes enuntiandi normæ fortasse fuerunt: ceteroquin vel temporibus Romanorum imperatorum non valde dissimilis fuit linguæ Latinæ condicio atque medio ævo aut renascentia. Nullum enim est dubium quin intra Romani imperii fines pronuntiatus varii atque alius ab alio diversi exstiterint. Id quod ex inscriptionum antiquarum reliquiis aliisque indicii non paucis elucet. Pronuntiatus ille, quem « restitutum » appellare solemus, quodammodo compositus atque fictus est ex indicii sonorum tonorumque, qui videntur fuisse proprii hominum nobilium et cultorum, qui Romæ temporibus Ciceronis habitabant<sup>1</sup>. Vix asseverare possumus eodem hoc modo, quem « restitutum » vocamus, homines doctos in Hispania, verbi gratia, vel in Africa Septentrionali altero post Christum natum sæculo verba Latina proferre ex ore solitos esse. Suspiciari igitur licet omnibus fere temporibus, quibus linguæ Latinæ usus longe lateque sit diffusus, modos enuntiandi valde diversos ac dissimiles impedimento nonnullis hominibus fuisse quominus alii alios Latine loquentes statim et facile intellexerent. Talia impedimenta cum ætate litterarum renatarum, tum etiam recentioribus sæculis exstitisse certo scimus – idque non paucis ex indiciiis. Quæ et qualia sunt hæc indicia?

Multa opuscula de linguæ Latinæ pronuntiatu sunt sæculis sexto decimo et septimo decimo conscripta publicique iuris facta. Excepto Erasmi libello, qui *De recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione* inscribitur, plerisque omnibus eiusmodi in libris perpauca indicantur de variis modis voces Latinas enuntiandi, qui re vera exstabant: talium librorum auctores plerumque dant enuntiandi præcepta voluntque nobis indicare quibus sonis oporteat nos verba Latina proferre.

Indicia pronuntiatuum, qui reapse exstabant, hic illic reperiuntur et in operibus quam maxime variis, vel in libris qui non sunt Latine scripti. Nulla sane ratio methodusve excogitari potest, qua tam sparsa indicia colligamus omnia. Perpauca rerum præteritarum indagatores hoc argumentum tractare sunt nostra ætate conati; et hi fere omnes sunt non linguæ Latinæ, sed artis potius musicæ cultores, qui sane certiores fieri cupiunt quibus modis cantus Latini seu medio ævo seu renascentia compositi nunc cum decore sint canendi.

Præstantissimus ex his inquisitoribus est fortasse Haraldus Copeman Britannus, qui libellum de rationibus Latine canendi abhinc circiter quindecim annos composuit, cui titulus Anglicus *Singing in Latin*. Cuius opusculi retractati et aucti altera editio est anno 1992 curata<sup>2</sup>. Haraldus ille nonnulla traxit ex alio libello, quem Federicus quidam Brittain *de linguæ Latinæ in cultu divino usurpatione* multo ante scripserat. Quod opus, primum anno 1934 publici iuris factum, iterum est anno 1955 typis excusum<sup>3</sup>. Eo in primis proposito suum librum composuerat Federicus Brittain ut sententiam refelleret nonnullorum, qui dicitabant pronuntiatum Italicum fuisse et iam diu esse in ecclesia Catholica communem et usitatum. Quin contra Federicus noster asseverat commune illud pronuntiatum Italicum studium exeunte sæculo undevicesimo, nec ante, in ecclesia Catholica crevisse; quod studium sæculo vicesimo corroboratum esse, cum variis de causis, tum præcipue ob conatum quandam normas et regulas in ecclesiam inducendi. Et dictis Federici fortasse consentaneum est hoc, quod *Liber Usualis*, enchiridion illud pronuntiatum ecclesiasticum, anno prodiit 1896, hoc est exeunte sæculo undevicesimo. Quo in libro soni sunt adumbrati qui Italicorum præcipue tum erant proprii. Ad summam – negat Federicus ullam voces Latinas enuntiandi rationem aliis pronuntiatibus aut auctoritate aut consensu loquentium inde a medio ævo præstitisse. Animadvertendum nobis est Federicum præcipue velle demonstrare quæ apud Britannos linguæ Latinæ fuerint condiciones. Haraldus Copeman, quamquam non solum Britannorum, sed mores enuntiandi nonnullarum gentium proprios attingit, Federico tamen neganti pronuntiatum ullum umquam ex medio ævo præcipuum fuisse prorsus assentitur.

Negare sane nolumus rationes verba Latina enuntiandi tam medio ævo quam renascentia exstitisse per multas. Nec perutile illud opus doctrinaque plenum, quod composuit Haraldus Copeman, propositum nobis est elevare. Veruntamen fieri potest, nostra quidem sententia, ut dictis Federici Brittain prorsus fidentes de sæculi sexti decimi vel septimi decimi condicionibus aliquatenus decipiamur. Quæ condiciones quantopere sint recentioribus sæculis, hoc est duodevicesimo et undevicesimo, mutata, dicere non possumus, ut qui in hanc novissimam Latinitatem haud ita multum inquisiverimus. At de sæculis sexto decimo et septimo decimo hoc coniectare possumus: fuisse quidem rationes enuntiandi multas et varias; etenim omnes fere gentes suo quamque sono proclives ad proferendas voces Latinas fuisse; attamen inter Latine loquentes, humanistas præsertim, pronuntiatum Italicum, et imprimis



Romanum, auctoritate quadam præpolluisse.

Qua re paulo diligentius pensitata, de linguæ Latinæ historia plura fortasse discemus. Illa enim ætate homines de quibuslibet rebus non solum Latine scribendo sed Latine etiam loquendo solebant cum aliis hominibus communicare. Variis in Europæ septentrionalis regionibus, verbi gratia, in Germania, in Batavia, in Gallia, in Scandinavia, mos in ludis litterarum et lyceis obtinebat ut discipuli Latine loquerentur<sup>4</sup>. In ordinis Iesuitarum academiis usus Latine loquendi severe (hoc enim adverbium usurpatur in Ratione Studiorum) custodiebatur<sup>5</sup>. In studiorum universitatibus acroases et prælectiones fiebant Latine<sup>6</sup>. Nonnulli præterea homines, etiam seorsum ab academiis et studiorum universitatibus, solebant cum alienigenis Latine colloqui et disceptare. Quam consuetudinem Petrus Burke, historicus Britannus, in libro bene tractat, quem *de artis sermocinandi historia* non ita pridem scripsit<sup>7</sup>. Quomodo igitur homines variis e gentibus oriundi et suo quisque pronuntiatu patrio Latine loquentes alius alium intellegere valebant? Hoc operæ pretium erit considerare.

Satis quidem constat difficillimum aliquando fuisse verba Latina ore peregrino conformata et prolata agnoscere. Narrat, verbi gratia, Iosephus Scaliger quomodo ipse Britannum quempiam eruditum sese Latine alloquentem per quadrantem horæ frustra conatus sit intellegere; cuius vocem asseverat Iosephus non obscuriorem sibi futuram fuisse, si Turcice locutus esset. Hæc narratiuncula satis bene est nota; quæ quidem in enchiridio memoratur, quod de Latinitatis classicæ pronuntiatu scripsit Sidonius Allen, professor Oxoniensis<sup>8</sup>.

Non solum ex hac narratiuncula Scaligeriana, verum ex aliis etiam indiciis, quorum quædam mox considerabimus, colligere possumus pronuntiatum præcipue Britannorum sæculo septimo decimo valde singularem fuisse vixque aliis Europæis intellegibilem. At priore sæculo, sæculo videlicet sexto decimo, res multo aliter sese habuisse prima saltem fronte videntur. Erasmus enim Roterodamus in libello, quem *de recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione* ineunte sæculo sexto decimo scripsit (in quo pronuntiatum quendam restitutum delineavit, quem tamen ipse numquam usurpasse videtur), Italos optime omnium gentium verba Latina enuntiare non semel asseverat: sed post Italos secundum locum habere Britannos<sup>9</sup>. Pronuntiatum enim Britannorum Erasmo videbatur ad sonos Italorum Latine loquentium proxime accedere. Erasmo assentiri videtur Thomas Faber, seu Smith, eques Anglus, qui in libello, quem *de recta et emendata lin-*

*guæ Græcæ pronuntiatione* medio sæculo sexto decimo composuit<sup>10</sup>, morem Britannicum Latine enuntiantium a pronuntiatu Italico discrepare asseverat; addit quoque « Faber » ille, Gallos Latine loquentes vix ab alienigenis intellegi posse. Hac quoque in re Faber et Erasmus plus minusve consentiunt. Affirmat enim Erasmus pronuntiatum Gallicum omnium pessimum minimeque perspicuum esse<sup>11</sup>. Mos quidem Gallicus Latine enuntiantium non paucis ab humanistis ludibrio habebatur, cum præsertim Galli ad accentus in ultimis cuiusque fere vocis syllabis collocandos essent proclives<sup>12</sup>. Galli Latine loquentes etiam ab aliis Gallis deridebantur, vel a Petro Ramo grammatico artisque rhetoricæ præceptore, qui respuebat pronuntiatum mediævalem apud collegium Sorbonnicum usitatum.

Sed revertamur ad Britannos. Quomodo testimonia Fabri et Erasmi sunt intellegenda? Loquuntur de omnibus Britannis qui Latine sciebant, an, id quod nobis verisimilius videtur, de Britannicis humanistis duntaxat, hoc est, de eruditis Britannis, quibuscum ipsi commercia habebant? Nam ex humanistis Britannicis qui primis sæculi sexti decimi decenniis florebant, nemo nobis notus est, quin aut in Italia sit eruditus, aut in Italia aliquandiu habitaverit, aut saltem cum Erasmo et eius amicis aliquo modo sit sociatus. De Italico linguæ Latinæ pronuntiatu nonnulli, qui et sæculo sexto decimo et postero sæculo scribebant, quædam tradunt, quæ cum Erasmi testimoniis congruere videntur.

Ioannes Caius, verbi gratia, professor Cantabrigiæ libellum medio sæculo sexto decimo scripsit, cui titulus *De pronuntiatione Græcæ et Latinæ linguæ*. Editum est hoc opusculum contra quosdam novitatis fautores, qui pronuntiatum linguæ Græcæ et Latinæ ab Erasmo propositum in Universitatem Cantabrigiensem inducere conati erant. Caius in primis adversatur Thomæ Fabro, ut qui pronuntiatui Erasmo faveret, et paulo ante composuisset libellum *De recta et emendata linguæ Græcæ pronuntiatione*, ut hunc pronuntiatum explanaret et commendaret<sup>13</sup>. Ioannes Caius quamvis in opusculo, quod supra memoravimus, non conetur gentes varias recensere secundum præstantiam Latine pronuntiantium, oratores tamen, quos in Italia audivit, laudibus cumulat, quippe qui semper graviter et cum decore Latine sint locuti<sup>14</sup>. Varios quidem enuntiantium modos agnovit Caius: asseverat ab Anglis septentrionalibus et Scottis quædam verba modo quodam singulari sonari, et ab Italis quasdam syllabas more insigni proferri<sup>15</sup>. At haud putare ullo in loco videtur Caius morem verba Latina enuntiantium in Britannia iam usitatum et translaticium ab pronuntiatu Italico tantopere

discrepare ut ulla intellegendi difficultas inter homines his gentibus oriundos Latine sermocinantes exstaret<sup>16</sup>. Pronuntiatus ab Erasmo propositus, Caii quidem sententia, nusquam nisi in Britannia auditur; itaque hic pronuntiatus novus potest esse impedimento quominus commercia Latine loquendi inter gentes varias frequententur<sup>17</sup>.

Multo magis perspicuum est testimonium Ioannis Milton, qui septimo decimo sæculo floruit et haud iniuria inter eximios litterarum Anglicarum auctores adhuc numeratur<sup>18</sup>. In libello qui *De institutione* inscribitur, Ioannes ille suis popularibus (hoc est, Britannis) pronuntiatum linguæ Latinæ Italicum apertissime commendat: ab Italis enim litteras præcipue vocales optime proferri; Britannos contra vix vocales exprimere posse<sup>19</sup>. Thomas Ellwood, qui nonnulla de Ioanne Milton, suo amico, litteris mandavit, certiores nos facit sibi ab eodem Ioanne esse persuasum, ut verba Latina Italico modo semper enuntiaret, quo pleniore beneficio linguæ Latinæ frueretur, videlicet ut non solum auctores Latinos legeret, sed cum alienigenis et peregrinis ope linguæ Latinæ facile colloqueretur et ab illis intellexeretur<sup>20</sup>. Hæc sunt medio sæculo septimo decimo scripta. Ineunte eodem sæculo relationem itinerum suorum, quæ permulta variis in regionibus fecerat, conscripsit Thomas Coryat, alius Britannus. Evenit persæpe ut Thomas ille Latine loquendo cum variarum regionum incolis commercia haberet negotiaque transigeret. Primo tamen eius sermo ægre ab aliis intellegebatur. At fere statim intellexit præcipuam difficultatem ex 'i' sive 'iota' littera proficisci, atque impedimento percepto, tam illam litteram quam alias syllabas Italico more enuntiare pro viribus conatus est. « Nam ubique fere gentium, » inquit, « mos Italicus Latine loquendi agnoscitur, suspicatur, usurpatur. » Pronuntiatu igitur sic mutato, non magno negotio Latine loqui potuit cum Danis, Germanis, Hispanis, Suetis, Polonis, etiam cum Gallis. Hæc sunt eius verba<sup>21</sup>. Haud abs re nobis videtur memorare Iustum Lipsium, qui suum dialogum *De recta pronuntiatione* composuit aliquot decenniis antequam Thomas Coryat itinerum suorum historiam litteris mandavit, animadvertisse eandem illam litteram vocalem, videlicet 'i', singulari modo ab Anglis exprimi; quem tamen sonum prope accedere ad sonum antiquum et Romanum credere videtur Lipsius<sup>22</sup>. Utcumque res illa sese habet, fabella Thomæ Coryat, quam rettulimus, quamquam ad 'i' litteram in primis spectat, bene tamen congruit cum dictis Ioannis Milton et aliorum de pronuntiatu Italico.

Neque his dictis absonæ sunt sententiæ Christophori Bernhardi Germani, qui Dresdæ choragus fuit

iisdem fere annis quibus scribebat Ioannes Milton. Dicit enim Christophorus varios pronuntiatus a cantatoribus usurpari – sed optimos et prudentiores enuntiandi rationem Italicam adhibere, quippe quæ sit idonea ac genuina<sup>23</sup>. At vix nobis scire licet num Christophorus de Latine sermocinantibus idem dicturus fuerit. Nam fortasse hoc de cantatoribus dixit quia mos canendi Italicus apud Germanos in pretio tunc temporis fuit.

Hactenus quosdam auctores tractavimus, quorum nemo fuit Italus. Oportet nunc consideremus quanto-pere quidam humanistæ Italici credidisse videantur linguam Latinam præsertim illis utilem esse qui cum externis et peregrinis hominibus sermocinari vellent.

Romulus Amaseus, qui rhetoricam in studiorum universitate Bononiensi ineunte sæculo sexto decimo profitebatur, in primis litterarum Italicarum professoribus ætate nostra est notus, utpote qui sua in oratione academica, cui titulus *De latinæ linguæ usu retinendo*, linguæ Latinæ usum vehementer defendere sit conatus contra linguæ vernaculæ fautores, quorum numerus tum temporis valde crescere cœperat. Qua in oratione, « quæ potest esse magis necessaria lingua, » inquit, « quam ea per quam cum exteris nationibus... nobis est honesta ac prompta sermonis communicatio? Qua sublata, quanam lingua Itali homines de privatis publicisque rebus agant cum Gallis, Germanis, Hispanis...? Aut eos per interpretem appellent necesse fuerit, aut illorum linguas condiscant »<sup>24</sup>. Hoc quidem loco de usu Latine sermocinandi sine dubio loquitur, at ne cogitare quidem videtur de ullis impedimentis quæ forsitan e pronuntiatis valde dissimilibus exoriantur. Dicit enim per linguæ Latinæ usum sermonis communicationem cum externis gentibus esse Italis « promptam ».

Franciscus Floridus Sabinus litterarum professor Italicus, æqualis Amasei, singulare quoddam atque insolitum opusculum composuit, quod inscribitur *Apologia in Plauti aliorumque poetarum et linguæ latinæ calumniatores*, quo in libello non semel de linguæ Latinæ utilitate disserit et quodam in loco asseverat Italos, ubicumque fere terrarum versentur, si Latine loquantur, ab incolis intellegi posse. Hanc in primis ob causam linguam Latinam non solum utilem, sed necessariam esse credit<sup>25</sup>. Similes sententiæ apud nonnullos humanistas Italicos leguntur – verbi gratia, in epistula quadam, quam scripsit Cælius Secundus Curio, qui munere professorio Ticini functus est, sed tandem in Helvetia anno 1569 diem suum obiit. Quæ epistula tamquam præfatio invenitur in posteriore quadam editione *Thesauri Ciceroniani* a Mario Nizzolio ineunte sæculo sexto decimo compositi, quod opus retractandum et amplificandum curavit Cælius Curio. « Apud

has... gentes, » inquit (et loquitur de Germanis, Gallis, Hispanis), « si quis domestici et vernaculi ipsorum sermonis ignarus versatur, nisi Latino sermone interprete utatur, nihil possit agere, nihil cum illis contrahere, sed mutus et elinguis prorsus esse cogatur »<sup>26</sup>.

Ad summum : nihil ab his auctoribus Italicis dicitur de impedimentis quæ e modis voces Latinas enuntiandi variis et magnopere diversis proficisci poterant. Hi auctores pæne pro certo ponere videntur suum pronuntiatum, pronuntiatum videlicet Italicum – vel pronuntiatum fortasse cuiusdam dialecti Italicæ proprium – ab omnibus externis gentibus intellectum iri.

His igitur locis (et sine dubio potuimus plures locos afferre) non paucorum auctorum auditis, consideratis, pensatis, iterum rogandum est quomodo homines variis e gentibus oriundi et suo quisque pronuntiatu patrio Latine loquentes inter se colloqui et alius alium intellegere potuerint. Tria responsa profferre possumus.

Primum, quamquam quædam erant Latine enuntiandi rationes tam singulares (velut Britannorum Gallorumve), ut ægre ab homine talibus sonis insueto intellegerentur, pronuntiatum tamen quarundam regionum ac nationum proprii multo minus inter se dissimiles erant ; si homines ab eiusmodi gentibus oriundi inter se Latine sermocinabantur, fortasse non magnopere alii impediabantur quin dicta aliorum satis cito caperent.

Deinde, si quis in regione aliquandiu manebat ubi voces Latinas exprimendi rationem invenit omnino sibi novam et inusitatam, necesse habebat novo pronuntiatu assuefieri – id quod sine dubio experti sunt nonnulli studentes, qui peregre in studiorum universitatibus versabantur. Accommodari ad novum pronuntiatum certe nonnumquam fuit difficile et molestum, at minus procul dubio laboriosum quam linguam novam de integro perdiscere.

Denique, non pauci malebant enuntiare more Italico, quo facilius Latine cum alienigenis sermocinarentur. Non quidem tantopere pollebat pronuntiatum Italicum, ut alii mores enuntiandi abolerentur aut exlescerent. Attamen, id quod ex testimoniis iam consideratis colligere possumus, enuntiandi mos Italicus aliis pronuntiatibus quasi quadam auctoritate, præsertim inter humanistas, præstabat, et multis in regionibus intellegebatur. Haud est difficile coniectare cur res ita sese habuerint. In Italia exorta sunt non solum « studia humanitatis », quæ dicebantur, sive humanismus, sed ipsa renaissance. Humanisticus ille linguæ Latinæ litterarumque Latinarum cultus est ab Italia in alias Europæ regiones dilatatus ; idque nonnumquam ope et opera magistrorum Italicorum peregre habitan-

tium et itinerantium. Docti homines ex Europa septentrionali et orientali Italiam tanquam sedem et umbilicum doctrinæ humanisticæ petere per totam renaissance consueverant, quorum permulti ad litteras Latinas colendas diu in Italia manebant. Romæ fuit sedes totius ecclesiæ Catholicæ. Romæ fuit sedes ordinis Iesuitarum, quorum academiæ vel in extremis Europæ partibus sunt conditæ. His in collegiis verba Latina secundum mores variarum regionum nonnumquam a præceptoribus enuntiabantur, et parvuli Latine balbutientes sæpe pronuntiatu patrio utebantur ; tamen vix dubitare possumus quin plerique Iesuitarum itinerantium aut ipsi Romæ aut ex aliis Iesuitis Romæ institutis pronuntiatum Romanum aliqua saltem ex parte didicerint.

Ætate igitur litterarum renatarum omnes fere gentes, ut in studiis ipsis humanitatis, ita quoque in lingua Latinæ pronuntiatu primas partes Italici deferebant.

Quibus modis sæculo duodevicesimo, quibus undevicesimo homines verba Latina enuntiabant ? Haud vero hic est locus ut his interrogatis respondeamus. Nam, sicut supra diximus, in hanc novissimam Latinitatem haud ita multum inquisivimus. Quibusdam autem de rebus vix ullum dubium exstare potest. Sæculo duodevicesimo usus linguæ Latinæ extra ecclesiam Catholicam valde decrevit. In studiorum universitatibus linguæ vernaculæ magis magisque usurpabantur. Nec sæculo sequenti, videlicet undevicesimo, res aliter sese habebant. Illa enuntiandi varietas, quæ antea inter Latine loquentes exstiterat, nequaquam est immutata, immo fortasse est aucta. Pronuntiatum ille restitutus, cuius quidem elementa sint iam nobis nota, vix ante sæculum vicesimum est excogitatus.

#### EPILOGUS

##### DE LATINE PRONUNTIANDI VICISSITUDINIBUS HODIERNIS

Ceterum in lingua Latina quæ hodie a variis hominibus academicis, religiosis, doctis vel tantummodo eandem linguam amantibus in commerciis cottidianis usurpatur, nulla lex enuntiandi lapidi insculpta exstat ad quam omnes teneantur ut emendate loqui videantur. Dimidio circiter abhinc sæculo inter conventum Avennionensem<sup>27</sup> decretum est linguam Latinam singulis populis iam non esse enuntiandam eisdem modis quibus eorundem linguæ vernaculæ enuntiarentur, sed pronuntiatum linguæ Latinæ generatim et universe esse restituendum ad eam condicionem quam philologi coniectare possent exstitisse sæculo primo ante Christum natum. Ut tamen lingua Anglica aliter in Anglia, aliter in Caledonia, aliter in Hibernia, aliter in

Australia, aliter in partibus meridionalibus Civitatum Fœderatum, aliter in partibus earundem Civitatum septentrionalibus enuntiatur eademque est condicio aliarum linguarum vernacularum ipsiusque linguæ Latinæ si de eius usu variis temporibus variisque locis protracto agitur, ita nobis Latine loquentibus, etsi id agimus ut quidam pronuntiatus maxima ex parte communis adhibeatur, non necesse est colores varios funditus extirpare. Immo, si vario colore lingua Latina imbuitur, hoc signum est linguam Latinam vitam habere sui iuris, vere vivere, esse vivam. Etiam nos, qui hanc commentationem scripsimus, ad verba Latina enuntianta haudquaquam eodem modo sumus instituti. Terentius Tunberg inde a pueritia pronuntiatum plus minusve restitutum semper adhibet, utpote quo parvulus in lyceo Britannico sit assuefactus; at pronuntiatum Italicum amat magnique censet. Nam in Instituto Studiis Latinis Provehendis non minus quam in conventiculis Lexintoniensibus, quamvis plerique fortasse pronuntiatu restituto utantur, mos enuntiandi Italicus sæpe auditur et semper probatur. In Bulgaria autem unde Milena Minkova est oriunda et ubi litteris Latinis puella est imbuta, pronuntiatu ille valet qui medius Europæus dicitur. Pronuntiatu enim « Cæsar » <Tsesar> et « amicitia » <amitsitsia>. Eodem vel simili modo sæpe audimus collegas Russos, Croatos, Bohemos, Polonos aliosque loquentes. Cum tamen Latine loquentes ex variis Europæ partibus Milena convenire cœpisset, i.e. amicos Finnos, Germanos, Belgas, eosque pronuntiatu restituto utentes audiret et dicentes <Kesar>, <amikitia>, cœpit putare se debere eo potius pronuntiatu uti quem auctores Latinitatis ita dictæ aureæ, qui primo sæculo ante Christum natum vixerunt, fortasse adhibuissent. Nec vero inter eos qui pronuntiatu restituto loquuntur plena concinnitas exstat. Alii enim diphthongos 'æ' et 'œ' tamquam monophthongos enuntiant <Kesar>, alii tamquam veras diphthongos <Kæsar> vel <Kaisar>; alii litteras quæ sunt 'qu' tamquam <cu> legunt, i.e. « quis » <cuis>, alii tamquam <cv>, i.e. <cvis>. Adde quod apud alios populos oratio Latina aliter sonat. Utcumque conata est pronuntiatum plus minusve restitutum amplecti putans se tali modo per reliquam vitæ partem locuturam. Mox Romam migravit, ubi sermo Latinus auditur semper colore Italico tinctus qui efficit pronuntiatum ecclesiasticum vel Romanum appellatum. Ita audiebatur <Tchesar>, <amitchitsia>, « agnus » <añus>, « scio » <shio>, « homo » <omo>. Cum semel pronuntiatum iam mutasset, pertinaciter recusabat quominus sonis Italicis licet aures mulcentibus adduceretur ad pronuntiatum iterum mutandum. Tandem intellexit sibi pro-

nuntiatum esse mutandum eo tempore quo cœpit primum apud Universitatem Pontificiam Salesianam, dein apud Universitatem Pontificiam Gregorianam Latine docere. In lingua Latina enim docenda oportuit eum pronuntiatum sequi quem Ecclesia catholica commendabat. Qui certe pronuntiatu in tota Italia valet nec necessario cum Ecclesia coniungitur paucique sunt qui eum mutare velint.<sup>28</sup> Ita per nonnullos annos modo Romano est locuta. Quo in temporis spatio intercedentes non prorsus deerant. Nam si conventum doctum omnium gentium adibat, semetipsam iubebat ad pronuntiatum restitutum redire. In talibus enim conventibus quidam pronuntiatu universalis quæri solet. Amici vero Itali asseverant pronuntiatum Romanum non tantum ad Italiam pertinere, sed ad totum mundum occidentalem propterea quod multi Europæi qui temporibus præteritis in Italia studia gessissent hunc pronuntiatum adhibuissent quippe qui naturaliter una cum studiis iis esset traditus. Dicunt porro haud absolum esse Ciceronem pronuntiatu Thomæ Aquinatis recitare quippe qui Ciceronem ipse legisset, sed omnino absolum Thomæ Aquinatis verba pronuntiatu Ciceronis proferre propter causam contrariam. Quid est nobis faciendum? Nam non possumus antequam aliquem auctorem adeamus eius sententiam de lingua Latina enuntianda investigare indiciaque certa quærere quibus statuamus quo pronuntiatu ille sit usus ut eundem in eo legendo adhibere possimus. Ceterum anno MIM exeunte Milena in Americam migravit et tunc putavit sibi ad pronuntiatum restitutum esse revertendum. Quæ mutatio fuit tertia – nam ex ratione enuntiandi media Europæa ad rationem restitutam transierat, deinde ad rationem ecclesiasticam, tandem ad restitutam. His autem ultimis annis identidem alienigenas convenimus qui in Italia erant commorati et qui linguam Latinam sono prorsus Italico enuntiabant, quamquam eorum sermones paterni minime erant Italici. Talium hominum verba ipsam Italiam amicosque Italos valde sapiebant, quos grato auscultabamus animo quippe qui particulam Latinitatis Italicæ secum ferre viderentur.

Qui ergo est optimus pronuntiatu, qui vitandus? Nullum huius interrogati responsum exstat. Nam variæ Latinæ pronuntiandi rationes ipsam vitæ varietatem ostendunt. Hæ sonorum Latinorum diversitates, ut ita dicamus, ipsam vitam multicolorem spirant. Ita si audimus <Tsesar>, ventus ex Europa orientali afflat familiaris, si <Tchezar> prope nos dulciter sonat, sol Italicus resplendere videtur, si tandem <Kesar> sentimus nos domi morari tranquillos. Lingua Latina ipsam vitam in se habet et vita est ipsa. ❧



1. W. S. Allen, *Vox Latina : A Guide to the Pronunciation of Classical Latin* (Cantabrigiæ 1965), v-vi.
2. H. Copeman, *Singing in Latin* (Oxonii 1992, ed. 2a).
3. F. Brittain, *Latin in Church* (Cantabrigiæ 1934 ; reimpr. Londini 1955).
4. R. Hoven, « Programmes d'écoles latines dans les Pays-Bas et la Principauté de Liège au XVII<sup>e</sup> siècle », in : *Acta conventus neo-latini Amstelodamensis. Proceedings of the Second International Congress of Neo-Latin Studies, Amsterdam 19-24 August 1973*, edd. P. Tuynman, G. C. Kuiper, E. Kessler (Monaci, 1979), pp. 546-59 ; G. Huppert, *Public Schools in Renaissance France* (Urbanæ et Sicagiæ, 1984), pp. 72-4 ; H. Aili, « Sweden » in *A History of Nordic Neo-Latin Literature*, ed. M. S. Jensen (Odense 1995), p. 140.
5. L. Lukács, S. I., *Ratio atque institutio studiorum societatis Iesu* (1586, 1591, 1599), *Monumenta historica societatis Iesu* 129, vol. V (Romæ 1986), pp. 131-2, 199, 242, 245-6, 260, 418 (ubi de Latine in scholis sermocinandi necessitate agitur).
6. S. Rizzo, « Il latino nell'Umanesimo », in : *Letteratura italiana. V. Le questioni*, ed. A. Asor Rosa (Augustæ Taurinorum 1986), pp. 398-99 ; M-H. Jullien de Pommerol, « Le vocabulaire des collèges dans le midi de la France », in : *Vocabulaire des collèges universistaires (XIII<sup>e</sup> - XVII<sup>e</sup> siècles). Actes du colloque Leuven 9-11 avril 1992*, ed. O. Weijers (Turnholti, 1993), pp. 39-40 ; P. Grendler, « Universities », in : *Encyclopædia of the Renaissance*, vol. 6 (Novi Eboraci 1999), p. 191.
7. P. Burke, *The Art of Conversation* (Cantabrigiæ, 1993), pp. 34-65.
8. Allen (ann. 1), p. 108.
9. *Desiderii Erasmi Roterodami De recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione, Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami, ordinis primi tomus quartus*, p. 100, vv. 914-16. Vide ibid., p. 101, v. 950.
10. Copeman (ann. 2), p. 75.
11. *Erasmi De recta... pronuntiatione* (ann. 9), p. 100, vv. 914-16.
12. Copeman (ann. 2), p. 145 ; Allen, *Vox Latina* (ann. 1), p. 106.
13. I. Caius, *De pronuntiatione Græcæ et Latinae linguæ cum scriptione nova libellus*, (Londini 1574), reimpr. et ed. I.B. Gabel (Ledesæ 1968). Vide sis proemii ab Ioanne Gabel compositi paginas 1-6, ubi hæc omnia fusius sunt explicata.
14. « Cum essem in Italia, graves viros graviter et cum decoro pronuntiantes audiebam. Cum in Britanniam veneram, novos viros, novo quodam pronuntiationis genere omnia personare offendebam. » (ibid. p.3) Operam medicinæ in Italia dedit Ioannes Caius ab anno 1539 usque ad 1543. Aristotelem præterea Padovæ prælegebat ab anno 1541 usque ad annum 1543.
15. Ibid. pp. 9-10, 18.
16. « Hactenus ergo vetus illa pronuntiatio nihil prohibuit quin et recte loquerentur homines et per orbem universum intelligerentur (sic), sic ut non sit opus nova. » (ibid. p. 12)
17. Asseverat quidem pronuntiatum varios impedire quominus homines facile commercia inter se habeant. Itaque pronuntiatum ab Erasmo et aliis excogitatum esse vitandum (ibid. pp. 3, 11).
18. Constat inter glottologos magnam litterarum vocalium mutationem in ipsa lingua Anglica inde ab exeunte sæculo XIV usque ad sæculi XVI exitum pedetemptim esse factam. Temporibus igitur illis, quibus Erasmus, Faber, Caius florebant, hæc mutatio non est fortasse prorsus absoluta.
19. Copeman (ann. 2), pp. 194-95.
20. Ibid.
21. *Coryats crudities bastily gobled up in five moneths traueils in France, Sauoy, etc.* (Londini, 1611, reimpr. Glasguæ 1978), pp. 68-69.
22. Copeman (ann. 2), p. 99.
23. *Von der Singe-Kunst oder Manier* in opere quod edidit J. Müller-Blattau, quod inscribitur *Die Kompositionslehre Heinrich Schützens in der Fassung seines Schülers Christoph Bernhard* (Castellis 1963), p. 36.
24. *Romuli Amasæi De latina linguæ usu retinendo* in *Romuli Amasæi orationum volumen* (Bononiæ 1564), p. 133.
25. *Francisci Floridi Sabini apologia in Marci Actii Plauti aliorumque poetarum et linguæ Latinæ calumniatores* (Lugduni 1537), pp. 56-57.
26. *Epistula nuncupatoria in Nizolius sive Thesaurus ciceronianus, post Mar. Nizolii, Bazilii Zanchi et Cælii Secundi Curionis... operas, per Marcellum Squarcialupum Plumbinensem, cum insigni accessione... digestus est illustratus* (Basileæ 1576) f.A4r.
27. *Premier Congrès international pour le latin vivant, Avignon, 3-6 septembre 1956* (Avennion 1956), vide paginam 167 : « Vota de Latino pronuntiatu. In hac re optandum est :  
  - I. Ut, juxta regulas nunc tradendas, praxis latine audiendi (directe ope consignationis...) et latine ore et voce loquendi (lectio, declamatio, actio dramatica...) excitetur et diffundatur.
  - II. Ut omnia et singula verborum elementa distincte atque integre proferantur.
  - III. Ut in libris ad pueros erudiendos verborum accentus notetur sive apice quodam sive nota ad syllabarum quantitatem designandam. Commendantur hæc quinque regulæ :  
    - I. Ut vocales et diphtongi juxta pronuntiandi rationem quam « restitutam » vocant proferantur.
    - II. Ut litteræ c et g sono duriore semper fiant.
    - III. Ut distincte sonus labiovelaris quæ efferatur.
    - IV. Ut litteræ c, t, g semper oclusæ habeantur, etiam cum simul apparent sc-, ti-, gn-.
    - V. Ut in eo quod ad latinum pronuntiatum spectat iis utamur signis eaque fiat ratio quæ a Societate Universali de re Phonetica maxime commendatur. »
28. Vide G. Bonfante, A. Traglia, E. Turolla, E. De Felice, L. Alfonsi, « La pronuncia del latino nelle scuole (1) », in : *Maia* 18 (1966), pp. 254-262 ; A. Traina, S. Mariotti, A. Ghiselli, M. Barchiesi, G. Scarpat, G. Bonfante, « La pronuncia del latino nelle scuole (2) », in : *Maia* 19 (1967), pp. 255-278 ; A. Traglia, « Postilla a 'La pronuncia del latino' », in : *Maia* 20 (1968), p. 10. Bonfante professor volebat eum pronuntiatum in Italia propagare quo optimi quique auctores sunt usi, dum Mariotti, Traglia plerique alii professores pronuntiatum Italicum defendebant asseverantes tantum studiis provectoribus talem pronuntiatum servari posse. Ceterum cum Alfonsi professor proposisset auctores qui usque ad sæculum III post Christum natum scripserunt pronuntiatu restituto legere, posteriores vero paganos necnon Christianos pronuntiatu Italico, Bonfante professor putabat eum diabolum cum aqua sancta concinnare velle.

# DE POESI RHYTHMICA

– scripsit Tuomo Pekkanen –

Georges Pompidou, præsident olim rei publicæ Francogallorum litteris tam antiquis quam patriis eruditissimus, in opere quod *Anthologie de la poésie française* inscribitur, iure monet versus unam tantummodo rationem esse, qua poesis exprimat: « *les vers ne sont qu'une des multiples expressions possibles de la poésie. Celle-ci est ou peut se trouver partout. Dans un roman comme dans un tableau, dans un paysage comme dans les êtres eux-mêmes... Pour l'exprimer, prose ou vers, pierre ou peinture important peu* » (ed. 1961, p. 7). Cum de poesi rhythmica locuturus sim, iam in initio moneo me nullo modo carmina metris rhythmisve soluta despiciere, in quibus magna vis poetica sæpe inest, ut ostendunt poemata prosaica (*Petits poèmes en prose*) Caroli Baudelaire, versus Pauli Eluard aliorumque surrealistarum et complurium modernorum. At nunc, omissis aliis generibus quibus sensus animi poetice describi possunt, artem versificationis Latinam rhythmicam tracto, cuius origo quidem est in antiquitate sed summa perfectio apud auctores mediævales.

Singularia exempla versuum, in quibus ictus et accentus in eandem syllabam incidunt, iam apud auctores antiquos passim occurrunt. Inter Gallicum triumphum C. Iulii Cæsaris milites currum triumphatoris sequentes canebant ioculariter, ut Suetonius refert :

*Ecce Cæsar nunc triumphat qui subegit Gallias,  
Nicomedes non triumphat qui subegit Cæsarem.*  
(Divus Iulius 49)

Hi versus sine dubio sunt octonarii trochaici sive tetrametri trochaici catalecti. At si eos legimus primam utriusque versus partem repetendo, efficitur stropha rhythmica in poesi mediævalesi usitatissima :

*Ecce Cæsar nunc triumphat,  
ecce Cæsar nunc triumphat,  
qui subegit Gallias.  
Nicomedes non triumphat,  
Nicomedes non triumphat,  
qui subegit Cæsarem.*

Cum his conferatur stropha sequentiæ bene notæ :

*Stabat mater dolorosa  
iuxta crucem lacrimosa,  
dum pendebat filius.  
Cuius animam gementem,  
contristatam et dolentem  
pertransivit gladius.*

Differentia ea tantum est, quod stropha mediævalesis rima bisyllaba regulari est ornata (*aab ccb*). Ex hoc clarissime patet, quam facile strophæ rhythmicæ in versibus metricis originem habere potuerint.

Primum carmen ratione rhythmica scriptum, ex eis scilicet quæ nobis sunt tradita, est Augustini *Psalmus contra Donatistas*, qui ita incipit :

*Abundantia peccatorum solet fratres conturbare  
propter hoc Dominus noster voluit nos præmonere  
comparans regnum cælorum reticulo misso in mare.*

Carmen est alphabeticum, nam singulæ strophæ incipiunt litteris A, B, C etc. Singuli versus ex sedenis syllabis constantes in duas partes octosyllabas cæsura dividuntur. Ultimum versus vocabulum accentum in pænultima syllaba habet, quæ semper in litteram *-e* desinit. Regulæ principales poeseos rhythmicæ in psalmo Augustini iam velut in nuce insunt, scilicet *pro primo* constans in versibus numerus syllabarum, *pro secundo* accentus versus exeuntis ( ~ \_ ~ ) regularis, *pro tertio* rima, licet adhuc unius syllabæ. Id tantum abhorret, quod aliquotiens (e.g. *misso in mare*) versus cum elisione recitandus est, quæ in carminibus rhythmicis locum non habere debet (v. infra). Primum vocabulum *abundantia* legitur *abundantja*.

Summa ingenia versificationis rhythmicæ præsertim sæculis XI-XII floruerunt. Notissima specimina huius generis sunt quædam *Carmina Burana* atque *sequentia* in ecclesia catholica hodieque cantatæ, ut *Veni Sancte Spiritus*, *Lauda Sion Salvatorem*, *Stabat mater*, *Dies iræ*. Accuratius rationes Latinorum rhythmicarum explicat W. Meyer in *Gesammelte Abhandlungen zur mittellateinischen Rhythmik* I-II, 1905. Nonnulla scitu digna addidit etiam K. Langosch, *Lateinisches Mittelalter*, 1975, pp. 71-73. Complura schemata stropharum rhythmicarum iam sæculo XIII exposuit Eberhardus Alemannus in opere *Laborintus sive de miseris rectorum scholarum*, quod divulgatum est a E. Faral in *Les arts poétiques du XIII et du XIIIe siècle* (1924), pp. 337-77.

In carminibus recentioribus legendis me iterum iterumque vexavit, quod multi videntur esse, qui strophas ratione rhythmica scribere volentes regulas huius generis parum observant aut prorsus ignorant. Sunt etiam, qui metricas et rhythmicas rationes in eisdem versibus infeliciter confundant. Hæc condicio deplorabilis eo maxime fit, quod institutio scholastica in auctoribus Latinis eligendis antiquiores recentioribus prætulit et, quoad poesim, rhythmis neglectis carmina metrica tantum quæ legerentur digna plerumque iudicavit.

Discipulis meis Latinis sæpe dixi nihil tam perperam scribi posse, cui simile apud aliquem saltem auctorem non inveniretur. Idem de poesi valet. Ætate Merovingiorum et iterum sæculis quarto et quinto decimo, cum eruditio litteraria variis de causis iaceret, multa carmina Latina scribebantur, quorum auctoribus tam ars quam indoles poetica prorsus deerant. At, ut ait Quintilianus (inst. 10,2,2), *omnis vitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in aliis facere ipsi velimus*. Ideo etiam in rhythmis scribendis exempla ab eis petenda sunt, qui in hoc carminum genere ceteris excellabant.

In carminibus rhythmicis, sicut ab optimis versificatoribus sæculi præsertim duodecimi scribebantur, inter singula vocabula eiusdem versus elisio non occurrit neque hiatus admittitur, i.e. vocabulum littera vocali desinens ante vocabulum littera vocali iniens non ponitur. Notandum tamen est litteram *m* finalem pro consonante haberi: cfr e.g. in sequentia *Dies iræ* versus 1,2 *solvet sæclum in favilla*, 13,1-2 *Qui Mariam absolvisti / et latronem exaudisti*. Elisio ad rationem metricam pertinet neque in versibus rhythmicis ullum locum habere debet. Maximi est numerum syllabarum computare, puram rimam, potius binarum syllabarum, adhibere, accentum ultimi vocabuli observare, ex quo distinctio fit versuum descendentium sive trochaicorum (spondiacorum) et ascendentium sive iambicorum.

Pauca de hiatu dicenda sunt, nam bene scio multos admirari, quam ob rem sit prorsus evitandus. Optimi sæculi XII versificatores, inter quos Archipoetam et Hugonem Primatem Aurelianensem (Edidit K. Langosch, *Hymnen und Vagantenlieder*, Darmstadt 1975) numero, hiatum intra versum nisi in exemplis auctorum aliisve locis citatis non admiserunt. Cur id fecerint, quæras. Certe, quia hiatus aures aut oculos eorum aliquo modo offendit. Quævis fuit causa et ratio, eum vitaverunt. Equidem censeo versum fieri, ut ita dicam, robustiorem, cum singula vocabula consonanti finali aut initiali separantur. Id poetæ antiqui in carminibus metricis elisione adhibita effecerunt; rhythmorum scriptores, qui vocales non elidebant, verborum ordinem intra versum ita instituerunt, ut vocabulum in litteram vocalem desinens semper vocabulum consonanti iniens sequeretur (e.g. *rosa sine spina*) et ante vocem vocali ineuntem vox in consonantem desinens esset (e.g. *eius in sentina*). Ergo pulchros versus componere volentibus exemplo optimorum hiatus est omnibus modis vitandus. In *Kalevala* carmine 22.795 versuum Latine vertendo hiatum ex versibus excludere omnibus modis nitebar. Nihilominus, in primam ope-

ris editionem propter negligentiam vel inobservantiam meam hiatus ter irrepsit. Quos versus in secunda editione emendavi neque in ea – nisi fallor – ullus intra versum hiatus inveniri potest. Certe hæc regula maiorem laborem rhythmos scribentibus affert, sed velim affirmare esse operis pretium.

Versus in carminibus rhythmicis adhibiti plerumque sunt admodum breves, quo fit, ut longiora carmina facile fiant monotona et tædiosa, nisi cursus regularis variatione quadam temperetur. Ideo optimus quisque rhythmorum scriptor in versu trochaico interdum pedem iambicum (˘ ˘) ponit pro trochaico (˘ ˘) aut vice versa in versu iambico trochaicum pedem (˘ ˘) pro iambico (˘ ˘), numquam autem in pede versus ultimo, ubi rhythmus semper regularis oportet maneat. Exempla huius usus in celeberrimis quoque rhythmis mediævalibus inveniuntur (v. *Vox Latina* 24, 1988, 206-208).

Versus trochaicos et iambicos variis modis coniungendo pæne innumerabiles strophæ effici possunt, quarum copiam præbet Eberhardus Alemannus supra citatus. In narrationibus longioribus prævalet strophæ ex Confessione Archipoetæ nota:

*Æstuans intrinsecus ira veementi  
in amaritudine loquor meæ menti:  
Factus de materia levis elementi  
folio sum similis de quo ludunt venti.*

Versus compositus est ex duabus partibus, quarum prima (*æstuans intrinsecus*) est heptasyllabus desinens in ˘ ˘ ˘, secunda pars (*ira veementi*) hexasyllaba desinens in ˘ ˘. Quaterni versus rima communi bisyllaba (-enti) in stropham coniuncti sunt.

Etiam versus dactylici vel anapestici ratione rhythmica componi possunt. Regula principalis in his quoque est, quod in singulis vocabulis ictus rhythmicus et accentus coincidunt. Rhythmicus versus dactylicus dodecasyllabus adhibetur e.g. in clarissimo carmine *O Roma nobilis* anno c. 900 scripto, cuius prima strophæ est:

*O Roma nobilis, orbis et domina  
cunctarum urbium excellentissima,  
roseo martyrurum sanguine rubea,  
albis et virginum liliis candida;  
salutem dicimus tibi per omnia,  
te benedicimus – salve per sæcula!*

Vocabula in versu ita posita sunt, ut syllabam, in qua accentus est, binæ syllabæ atonæ sequantur.

Exceptio de hac regula in initio trium versuum fit, in quibus prima syllaba atona est (*O Róma, cunctárum, salútem*). Ut supra dixi, huius generis versus nullo modo sunt vitiosi, cum accentus transpositio iucundam auribus audientis variationem offerat.

Illis, qui artem rhythmicam discere velint, aliquot exemplis illustrare placet, quibus modis incipiendum sit, ne difficultates a iucundo opere absterreant. Præceptum divinum Catonis « Rem tene, verba sequentur » etiam in carminibus scribendis plurimum valet. Oportet habeas materiam, quam tractes, ne eodem tempore et pro re et pro forma nimis labores, ex quo facile sequitur, ut opus incohatum vires superet.

Optima exercitatio est carmina linguis modernis composita Latine vertere. Tum habes materiam paratam, quam in formam rhythmicam Latine reddas. At in hoc opere faciendo suadeo, ne versum aut stropham nimis difficilem eligas, qua utaris. Versus trochaici sive descendentes sunt faciliores quam versus iambici sive ascendentes, et rhythmici simplices minoris laboris quam compositi. Neque semper necesse est rimas adhibere. Pulcherrimi versus etiam sine rimis componuntur, dummodo verba sint poetica et inter se concinentia vel consona. Incipere facillimum est versibus simplicibus quadri-, hexa- vel octosyllabis.

Aliud exercitationis genus est carmina antiquorum metrica in formam rhythmicam mutare. Tum habes præter argumentum etiam pleraque vocabula ita parata, ut totum fere laborem in versu concinne componendo et in rimis inveniendis ponere possis. Pro exemplo sit carmen Horatianum 1,18, quod ex forma metrica in rhythmum rimatos ita mutavi :

*Omnia proposuit siccis deus dura,  
hominis non diffugit nisi vino cura.  
Num quis in convivio crepat paupertatem,  
culpat aut militiæ mæstus gravitatem !  
Quis non laudat potius Veneris decorem,  
quis non patris Liberi liquidum liquorem !*

Inter carmina profana et Christiana nulla est differentia formæ, nam eadem regulæ et artis metricæ et rhythmicæ in utrisque observantur. E.g. Prudentius, Horatius Christianus appellatus, odas strophis Horatianis usus composuit et complures sunt alii versificatores, qui narrationes Scripturarum sacrarum carminibus suis rettulerunt. Ita Iuvenecus (sæc. IV) totum euangelium Matthæi hexametris Vergilianis usus in formam poeticam mutavit.

Similiter materia ad exercitationes rhythmicas ex quibusvis textibus antiquis vel modernis, metricis vel

solutis quavis lingua scriptis quæri potest. Catullus, Horatius, Tibullus, Ovidius plurima præbent argumenta, quæ in forma rhythmica retractando utile dulci miscetas. Multa huius generis iam poetæ ætatis renascentiæ scripserunt, neque facile est dictu, quando versus de argumentis antiquorum scripti sint tantummodo versiones, quando eiusdem argumenti variationes, quando prorsus nova carmina. Cum Pierre de Ronsard (1524-1585) in Amoribus Cassandræ (*Les amours de Cassandre, Anth. Pompidou* p. 86) scriberet « *Ab, Maîtresse, approche-toi ! Tu fuis comme un faon qui tremble* », sine dubio in mente Horatianum versum habuit *Vitas hinuleo me similis Chloë*. Aliud exemplum variationis Horatianæ apud eundem est oda *O Fontaine Bellerie* (ib. p. 82), quæ carmen Horatianum *O fons Bandusiæ* (carm. 3,13) ab initio usque ad finem in forma strophica rimis ornata imitatur. Æqualis Ronsardi fuit Rémy Belleau (1528-1577), cuius versus de Amore ab ape vulnerato sunt variatio aut prorsus versio carminis Anacreontici (*Lyricorum Græcorum fragmenta, Basileæ* 1961, p. 84).

Versiones et variationes poetarum sunt optima genera exercitationis, quæ iam rhetores Romani discipulis suis commendabant (Quint. inst. 10, 5, 4). Græce scientibus commendabile etiam hodie est versus Græcos in Latinum vertere aut variare, sed in his quoque initium ex facilioribus incohandum est. Aptam ad variationes materiam præbent carmina Anacreontea, quorum exempla antea in *Melissa* (23, 1988, 10-II) divulgavi.

Ergo, sescenti sunt modi, quibus versificationem Latinam exerceas. A versibus rimisque simplicibus incohandum est atque, ne nimis multis difficultatibus simul labores, materia iam parata in initio sumenda, quam tuo modo variis strophis variisque rimis usus in novas formas poeticas redigas. Hoc enim fecerunt poetæ quos admiramus cum antiqui tum mediævales. Ars vertendo, imitando, antiqua argumenta variando acquiritur atque, ut in meis discipulis vidi, haud longa exercitatione opus est, antequam studentes academici, aliquantula vena poetica præditi, Musis adiuvantibus etiam suos animi sensus et cogitationes versibus Latinis describant. ❀



# IGNOTA ATQVE INEDITA EPISTVLA AD GASPAREM BARLÆVM (1584-1648) POETAM SCRIPTA

– quam primum publicavit Theodericus Sacré –

ANNO 1643, Christianam rempublicam moderante Urbano VIII Barberino, viro a Musa Latina haudquaquam alieno, Fabius Chisius (Chigi), episcopus Neritonensis Senis anno 1599 natus, dum apud Germanos nuntii apostolici munere fungitur, suadentibus amicis quibusdam ut carmina quæ et ipse inde a iuventute Latine conscripsisset in unum volumen collecta typisque descripta iuris faceret publici, diu ille quidem multumque cunctatus, annuit.<sup>1</sup> Itaque poemata, ne maculis deturpata in lucem prodirent, ad amicos, familiares, Societatis Iesu sodales rei metricæ linguæque poeticæ peritiores, misit ut ipsa severe castigarent, menda tollerent, ignoscenda tegerent, probata traderent (ut cum Ausonio dicam). Transiit tum annus unus alterve, quo et Urbanus VIII ad plures abiit (successit autem in eius locum Innocentius X Pamphilus) et Chisius ipse nova dignitate auctus Colonia Monasterium migravit ut pacis Westphalicæ negotiationibus ibi interesset. Cum vero Urbanus VIII poetis mirum favisset in modum, Innocentius X P.M. poesin Latinam, rem dico frivolam, præsulibus minus convenire sensit : magis illi exsequerentur quæ ipsorum essent functionum. Quod cum esset ita, Chisius consilium aliquatenus vertit iamque carmina velato poetæ nomine divulgari cupiit atque id quidem ita ut editor quisquam versus ipse collegisse et in lucem sua sponte edidisse videretur utque ipse Chisius Camenæ suæ non nimium tribuisse crederetur. De falso nomine diu consultum, donec in *Philomatho* acquievit Chisius, quod Academiolæ cuidam Senensi Philomathorum illud fuerat nomen. Iuvante autem Iesuita quodam, qui Coloniae theologiam docebat, quem magni faciebat Chisius, editor tum repertus, cum omnia prelo iam parata : atque is quidem fuit Guilielmus Furstenbergius, iuvenis nobilis eiusdemque professoris Ignatiani auditor. Denique de typographo deliberatum ; Monasterienses vero Coloniensesque officinæ parum elegantes parumque correctos libros excudere dicebantur ; Antverpienses autem carmina fastidire, quod ea vix divendi posse viderentur. Itaque, cum Amstelodami ageret vir quidam rei catholicæ admodum favens idemque non solum rei poeticæ esset gnarus, ut qui ipse quoque Latinos conderet versus, verum etiam correctoris munere apud typographum quendam Amstelodamensem fungeretur, tum et Chisio et Iesuitis innotuisset, re pensiculata conscivit Chisius ut carminum libellus extra orbem catholicum prælo mandaretur Amstelodamensi, obstetricante Nihusio (hoc enim illi viro docto et correctori apud officinam Blavianam nomen).<sup>2</sup> Rem compertam probavit Franciscus Vander Veken sodalis Societatis Iesu : « Carmina optime excu-

dentur Amstelodami. Est ibi Nieuhusius qui libenter correctioni invigilabit. »<sup>3</sup> Mox ex urbe Belgii septentrionalis principe nuntiavit Nihusius Iohannem Blæu sive Blavium typographum (ca. 1599 - 1673) opus libenter esse suscepturum : « Paratissimus quoque est Blavius ». <sup>4</sup> Dubio procul est admodum gavisus Chisius quod eum nactus erat typographum, quo nemo fere esset eis temporibus præstantior, nemo in geographicis tabulis excudendis accuratior vel elegantior, nemo in ceteris editionibus apparandis correctior.

Nihusius ergo, accepta carminum Chisianorum parte maiore, quo se officiosorem clientem erga patronum præberet tantumque virum vere adiuvaret, ipse quoque carmina, antequam typographo traderet, castiganda sibi duxit. Itaque de versibus quibusdam utrimquesecus datæ litteræ. Accessit huc quod dum operis plagulæ producuntur, sua ille sponte amicos quosdam Amstelodami habitantes cum hac prece adiit ut carmina Itali poetæ, quicum nullam contraxissent familiaritatem, tamen perlegere et, si probassent, poetica laude cumulare dignarentur : fore enim ut acclamationes victa oratione compositæ ipsi operi subiungerentur. Inter eos igitur, qui a Nihusio tum allecti, Gaspar erat Barlæus (Antverpiæ, 1584 - Amstelodami, 1648), poeta-rum Latinorum qui in illa urbe floruerunt facile princeps idemque apud Athenæum illius urbis illustre academicus historiæ philosophicæ professor.<sup>5</sup> Quo cum viro per litteras colloqui cœperat Nihusius anno circiter 1624, cum hic Coloniae viveret, ille Lugduni Batavorum habitaret.<sup>6</sup> Utrique enim Matthias Overbeecquius sive Matthijs van Overbeek (+ 1638) mercator Lugdunensis rerum antiquarum amatissimus innotuerat. Dein, cum Nihusius anno 1633 sedem Amstelodami fixisset, sæpius inter se convenere Barlæus et Nihusius. Nam præter antiquitatis studia viros etiam iunxerunt cogitationes philosophicæ et theologicæ ; etenim Nihusius Lutherana fide posita catholicam religionem amplexus erat ; Barlæus autem Arminianorum partibus faverat, dein, posteaquam obdipsum logicæ cathedram Lugdunensem (anno 1619) amisit, evangelicam novatorum fidem tam dubitanter confitebatur, ut poeta semipaganus esse diceretur ; quamobrem Nihusio spes erat, fore ut amicus ad religionem catholicam converteretur. Neque illud denique prætermittendum, quod Musæ Latinæ amorem cum Barlæo communem habebat Nihusius epigrammatarium<sup>7</sup>, licet longe præstaret Germano Batavus :

*Caspari Barlæo*

Barlæum, vatium cum præternavigo regem,  
quidni demittam vela vasallus ego ?<sup>8</sup>

Nil ergo mirum, si Barlæum rogare voluit Nihusius, ut carmina Philomathi versibus celebraret. Hinc nulla interposita mora epistolam exaravit quam amico Amstelodamensi traderet. Qui cum domo abeset, eadem filiarum eius in manus est data, adiunctis, ni fallor, *Philomathi Musarum iuveniliū* foliis sive quaternionibus typis iam excisis. Hoc enim nobis monere videtur adnotatiuncula ab ipso Nihusio in epistolio adscripta ; quæ hæc habet verba : « Hanc ad Barlæum schedulam relinquebam initio filiabus<sup>9</sup> Barlæi, qui neque aliud præter folia impressa vidit, aut ex me de auctore sciscitatus est »<sup>10</sup>.

En tibi, lector, ipsa verba epistolæ a Nihusio ad Gasparem Barlæum scriptæ ; quæ adhuc exstat ; assertur enim in Bibliotheca Vaticana, ubi ad hunc diem plane videtur delituisse ; nulla siquidem eius mentio est facta a viro docto qui Casparis Barlæi epistularum elenchum confecit.<sup>11</sup>

Cl(arissi)me Vir,

Edit per me nonnemo poëmata hæc, non sua. Lubetne perlustrare ? Per otium, ut spero. At quorsum ? Idem ille, quem dixi, gratum sibi fore ait, si meorum amicorum aliqui dignaturi libellum exornare epigrammate quopiam. Intelligis, opinor, quid velim. Obsecro te, ostende non sperni Senenses Musas ab Amstelodamensibus. Ac profecto prædicabo id suis locis insigniter. Sed et semper, ubicunque facultas obtigerit, edam grati animi indicia. Solum frontispicium, cum Tragœdiæ actu ultimo, necdum typis mandatum. Vale, vir celeberrime, meritoque honoratissime. Amstelodami, III Junij MDCXLV.

Barlæo, postquam carmen in laudem Philomathi conscripsit, tam suo quam Philomathi nomine gratias egit Nihusius, ut patet ex epistula ad Chisium data Amstelodami a.d. IV Id. Iul. anno 1645 :

Ill(ustrissi)me R(everendissi)meque D(omi)ne,  
Patrone æternùm obs(ervandissi)me,

Gratias egi, decente modo, Barlæo. Qui, non repetens carminis sui autographon, peculiari animi affectu veneratur auctorem Poëmatum, id solum sollicitè ex me quærens, an etiam putem, indignè accipi posse carmen illud suum à concionatoribus, meque nullas difficultates vidente, acquiescens vultu optimo petensque ut sibi copia per me fiat unius atque alterius exemplaris, pro suis amicis intimis, Hugenio<sup>12</sup> et Vicofortio<sup>13</sup> ; quorum hic mihi familiaris à pluribus quam 30 annis. Uno

verbo, honorificentissimè et sentit de Philomuso<sup>14</sup> et sicuti loquutus est ad alios hactenus, ita loquetur ubique. Commoverunt hominem, quæ et lapidem commoverent, quia spirantia res serias. De cætero, inseram ego dedicatoriæ, quæ Ill(ustrissi)ma V(est)ra D(omina)tio mandat, si tamen acu rem tangere potuero.<sup>15</sup> Deus Ill(ustrissi)mam D(ominatio)nem V(est)ram clementissime tueri pergat. 12 Julij 1645.

Ill(ustrissi)mæ R(everendissi)mæque D(ominati)nis V(est)ræ humilimus (servulus) B(artoldus) N(ihusius).<sup>16</sup>

Immo etiam ipsius manu exaratum carmen Barlæi, nonnullis emendationibus insignitum, quod ad Chisium miserat Nihusius in eadem servatur bibliotheca.<sup>17</sup>

Itaque posteriore anni 1645 parte Amstelodamensi ex officina Blaviana sunt emissæ *Philomathi Musæ iuveniles*, munitæ atque ornatae diversorum poetarum versibus, quos elicuerat Nihusius. Frontispicium vero pro Blavio nuntiavit Kinckium typographum Coloniensem rem typis excrispsisse. Quare ita mentiri voluerint poeta, editor, typographus, corrector, fortasse requiris. Non est quod longe quæras : nam et libellus Coloniæ id est apud Catholicos impressus facilius per orbem catholicum atque commodius tutiusque vagabatur quam extra eundem illum orbem excusus ; nec quicquam de editoris Amstelodamensis fama detrahebatur, qui in suspicionem catholicis favendi venire non poterat ; neque præsul idemque poeta erat accusandus quod apud editorem falsa doctrina imbutum quodve in urbe heterodoxa rem suam prelo subiciendam curavisset.

Nihusius vero paucis post annis Philomathi *Musarum iuveniliū* coram amico quodam iniciens mentionem denuo affirmavit suo impulsu Barlæum Chisii Camenas collaudavisse :

Quum ederentur Philomathi Musæ iuveniles, curavi ut eas carmine quodam laudaret Barlæus, sicuti et poemata Iacobi Balde Iesuitæ. Et utrique auctori gratum potius fuit, quam ut sinistre acciperent quidquam eius. An vero mihi non sit hic agendum cum hæreticis ?<sup>18</sup>

Manifestum est igitur a Bartoldo Nihusio eundem Barlæum esse invitatum ut et Iacobi Balde carmina versibus celebraret. Quid autem Baldeo cum Barlæo, quidve Nihusio et Chisio cum Baldeo, alias erit enarrandum ; nam subvereor ne commentatiunculæ modum iam sim egressus. ❧

1. De Chisio poeta plura mox legentur in libello meo qui nunc paratur et inscribetur *Een dichter op de stoel van Rome : Alexander VII Chigi (1655-1667) en het Latijn* (Anderlaci, 2004).
  2. De Nihusio cfr. T. Sacré, 'De cervesia Goslariensi (1644) Bartoldi Nihusii (1590-1657) ad Fabium Chisium (1599-1667) epistula inedita', *Vox Latina*, 39 (2003), 161-167. Libris et commentationibus ibi allatis addas A. Mirto, *Lucas Holstenius e la Corte Medicea. Carteggio (1629-1660)*, Accademia Toscana di Scienze e Lettere 'La Colombaria', Studi, 179 (Florentiae, 1999), passim ; J.F.M. Sterck, *Vondel-brieven uit de XVIIIde eeuw aan en over den dichter* (Amstelodami, 1935).
  3. Vekenius Chisio, V Kal. April. anno 1645 (Bibliotheca Vaticana, cod. Chig. A.II.32, f. 99r-v (epistula inedita)).
  4. Nihusius Chisio, sabbato sancto anni 1645 (Bibliotheca Vaticana, cod. Chig. I.V.170, f. 193r-v ; cfr. G.J. Hoogewerff, *Bescheiden in Italië omtrent Nederlandsche kunstenaars en geleerden*, 3: *Rome. Overige bibliotheken*, Rijks Geschiedkundige Publicatiën, Kleine serie, 17 (Hagae Comitum, 1917), p. 393).
  5. Cfr. i.a. F.F. Blok, *Caspar Barlaeus. From the correspondence of a melancholic*. Respublica literaria neerlandica, 2 (Amstelodami, 1976).
  6. Maior pars epistularum quas inter se dedere Nihusius et Barlaeus legitur vel in C. Barlaei *Epistolarum libro* (Amstelodami, 1667), vel in opere c.t. *Praestantium ac eruditorum virorum epistolae ecclesiasticae et theologicae, quarum longe maior pars scripta est a Jac. Arminio, Joan. Uytenbogardo, Conr. Vorstio. Ger. Joan. Vossio, Hug. Grotio, Sim. Episcopio, Casp. Barlaeo. Editio secunda. ab innumeris mendis repurgata, et altera parte auctior* (Amstelodami, 1684).
  7. Cfr. i.a. Bartoldi Nibusii *Disticha. Libri quatuor. Accedit ejusdem epigrammatum variorum liber singularis* (Coloniae Agrippinae (= Amstelodami), 1642) ; *Epigrammata disticha poetarum Latinorum, veterum et recentum, nobilitiora : quae unico constant hexametro et pentametro. Seligente ac in libros undecim digerente Bartoldo Nibusio* (Coloniae Agrippinae (= Amstelodami), 1642).
- Hinc etiam factum ut de Barlaei carminibus novis interdum certiolem faceret Chisium Nihusius : cfr. i.a. Hoogewerff, *Bescheiden*, p. 378.
8. Nihusius, *Epigrammata disticha*, p. 182 = *Disticha. Libri quatuor*, p. 37.
  9. Barlaeo quinque erant filiae ; quarum una Susanna appellabatur : Blok, *Barlaeus*, p. 85.
  10. Cfr. Bibliotheca Vaticana, cod. Chig. I.V.170, f. 204r (epistula inedita).
  11. Cfr. K. van der Horst, *Inventaire de la correspondance de Caspar Barlaeus (1602-1648)*, Respublica literaria neerlandica, 3 (Asseni, 1978).
  12. I.e. Constantino Hugenio (Huyens), poetarum Neerlandicorum et Latinorum flore (1596-1687) ; cfr. i. a. Constantijn Huygens, *Mijn leven verteld aan mijn kinderen in twee boeken*. Ingeleid, bezorgd, vertaald en van commentaar voorzien door Frans R.E. Blom, Nederlandse Klassieken (Amstelodami, 2003).
  13. I.e. Ioachimo Vicofortio (van Wicquefort), 1596-1670 ; cfr. i.a. C.M. Schulten, 'Joachim de Wicquefort et Jean Tileman Stella. Fragments d'une correspondance (1639)', *Lias*, 1 (1974), 129-155.
  14. *Philomusi* nomen *Philomatbo* diu praeferebat Nihusius.
  15. Patet et hinc et aliunde dedicatorem eam epistulam non a Guilielmo Furstenbergio, verum ab ipso Chisio esse conscriptam.
  16. Cfr. Bibliotheca Vaticana, cod. Chig. I.V.170, f. 215r (epistulae partem edidit mendis quibusdam insertis Hoogewerff, *Bescheiden*, p. 395).
  17. Bibliotheca Vaticana, cod. Chig. Q.III.72, ff. 125r-126r ; cfr. etiam Hoogewerff, *Bescheiden*, p. 395.
  18. Cfr. Bibliotheca Vallicelliana in urbe Roma, "carte Allacci", cod. CXLIX, f. 239v (epistula inedita, quam ad Leonem Allatium scripsit Nihusius Amstelodami XV Kal. Feb. 1648). Allatius (1586-1669), vir e Graecia oriundus, Francisco Card. Barberino fuit a bibliotheca ; anno autem 1661 Bibliothecae Vaticanae primus custos est creatus. Erat philologus utraque lingua doctissimus idemque theologus eruditissimus.

NON SEMPER ERIT ÆSTAS adagium 3286

## DE BIBLIIS HEBRAICIS CONTROVERSA (III)

- scripsit Gaius Licoppe -

**N**ono sæculo novus actor apparet in scæna Proximi Orientis ; Assyriorum enim imperium in Mesopotamia magis magisque potens bellicosumque factum est. Tunc temporis regnum meridionale, Iuda, manet pauperum, seclusum et inordinatum. Contra, regnum septentrionale, Israel, abundat naturalibus divitiis et populum satis frequentem habet. Quamobrem Assyrii est attractiva præda. Eventa sesquisæculi insequentis, i.e. usque ad finem regni Israël anno 722 factum, in Bibliis Hebraicis narrantur ut sors ineluctabilis populi et regum impiorum, qui YHWH eiusque templum Hierosolymitanum non unice coluerunt. Moderna tamen critica causas historicas exquirere vult, iuvantibus recentissimis effossionibus archæologicis et scriptis vicinarum regionum, præcipue Mesopotamiæ et Ægypti.

Imprimis compertum est Israel, exeunte nono sæculo, vehementem impetum ab Aramæis passum esse, ducente Hazael Damasceno rege. Damsceni fertiliore Israel parte tunc potiuntur atque Samariam, urbem caput, obsident. In inscriptione in loco « Tell Dan » inventa, Hazael gloriatur his verbis : « Necavi Ioram, Achab filium, regem Israel atque necavi Ahasyahu, filium Ioram, regis Domus Davidis. Eorum urbem subruï agrosque vastavi. » Quis ergo necavit Ioram, ultimum regem dynastiæ Omri, usurpator Iehu, ut narratur in Bibliis Hebraicis, an Hazael ?

Aramæorum impetus tantum fieri potuit, quia Assyrii res alibi gerebant ; sed isti anno 811 Damascum obsident, cuius rex cogitur se eis submittere et tributum solvere.

Iehu, rex Israel, etiam coactus est tributum Assyriis solvere. In obelisco nigro regis Salmanasar III, Iehu ostenditur ad regis pedes prostratus ; ibi etiam tributum quod solvit inscriptum est. Iehu in Bibliis Hebraicis habetur Dei instrumentum, quo idololatria eradicetur, et, re vera, cultum dei Baal sustulit eiusque templum Samariæ delevit ; alii tamen cultus manserunt.

Ineunte octavo sæculo, prostratis Damascenis, renovatur Israel prosperitas. Rex Ioas Assyriorum vassalus est, sed sui iuris manet. Eius successor, Ieroboam II, quadraginta annos regnat ; Israël, cuius fines tunc amplificantur, ad summam prosperitatem pervenit ; incolarum frequentia etiam mirum in modum augetur, usque ad 350 circiter milia. Vitis et olea sunt ubera œconomix ; oleum exportatur usque in Assyriam et Ægyptum.

Equi etiam educantur, qui ab Assyriis magni æstimantur. Archæologicæ effossiones oppidi Megiddo detexerunt maximas structuras pilis præditas, quæ ab inventoribus vocatæ sunt « Salomonis stabula » ; quæ

videntur re vera fuisse stabula, quamquam res nondum est certa, sed demonstratum est eas ædificatas esse regnante Ieroboam II. Tanta erat fama equorum curruumque regni Israel ut, etiam post eius finem, rex Assyrius, Sargo II, in exercitu suo haberet magnam turmam essedariorum, quibus licebat suam identitatem Israeliticam servare.

Ieroboam II rege, omnia elementa rei publicæ constitutæ primum inveniuntur in regno Israel : populus generaliter litteratus, administratio centralis, merces specificæ atque exercitus permanens. Opulentia divitum nimia facta est, quam prophetæ Amos et Osee denuntiant ; eorum scripta, quæ inter prima prophetica numerantur, increpant corruptos impiosque optimates et condemnant iniustitiam sociale, oleum in Ægyptum exportatum et foedus cum Assyriis factum :

*Qui dormiunt in lectis eburneis,  
recumbentes in stratis suis,  
comedentes agnos de grege  
et vitulos de medio armenti (...)  
bibentes vinum in phialis,  
optimis unguentis delibuti (Am. 6, 4-6)*

*Ephraim pascit ventum  
et sequitur æstum ;  
tota die mendacium et violentiam multiplicat,  
et foedus cum Assyriis inicit  
et oleum in Ægyptum fert. (Os. 12, 2)*

Post Ieroboam II anno 747 vita functum, res Israel celeriter deteriorantur. Augetur Assyriorum dominatio, regna sunt brevia, plerique reges trucidantur. Ex eis, Peqah foedus cum Assyriis rumpit atque cum rege Damasceno et nonnullis aliis vicinis civitatibus coniurat. Coniurati regnum Iuda etiam cogere volunt atque Hierosolyma obsident. Achaz, rex Iuda, ab Assyriis auxilium implorat. Tunc Teglat-Phalasar III, ferus Assyriorum rex, Damascum expugnat eiusque regem trucidat, postea Israel aggreditur, cuius præcipua oppida diruit agrosque vastat ; partem incolarum in Mesopotamiam deportat. Anno 732 de regno Israel tantum supersunt pauci colles circa Samariam ; ipse rex Peqah tollitur, in cuius loco Teglat-Phalasar III nominat Osee, ultimum Israel regem.

Teglat-Phalasar III mortuo, Osee statim conatur coniurare et rebellare, sed Assyrii Samariam tres annos obsident et Sargo II urbem anno 722 capit. Hic est finis regni Israel, cuius quinta circiter pars populi in Mesopotamiam deportatur.

Iuda, debile regnum meridionale, solum superest,

Assyriis subditum ; undique circumdatur gentibus quæ YHWH non colunt. Hierosolyma, minimum oppidum sex circiter hectarearum « civitas Davidis » vocatum, tunc celeriter dilatatur usque 75 hectareas atque crassis mœnibus circumdatur. Regni incolarum frequentia etiam celeriter augetur, usque ad 120 circiter milia ; multi enim incolæ deleti regni septentrionalis in Iuda confugiunt.

Supra iam monstravimus in regno Iuda nullam ætatem auream ante septimum sæculum fuisse. David, Salomon et sequentes reges Davidicæ dynastiæ rexerunt regionem montuosam seclusamque, quæ carebat divitiis et administratione centrali. Archæologia etiam monstrat idololatriam in regno Iuda semper viguisse ; *ædificaverunt enim et ipsi sibi excelsa et lapides et palos super omnem collem excelsum et subter omnem arborem frondosam* (I Reg. 14, 23).

Iudææ collium incolæ, præter YHWH, multos deos deasque colebant, eosdem ac apud vicinas gentes. Centena sigilliola nudarum dearum fertilitatis ubique regni Iuda inventa sunt ; præcipue colebatur Asherah, quæ interdum dicebatur uxor YHWH. Etiam Hierosolymis YHWH una cum aliis deitatibus colebatur, ut Baal, Asherah vel Milkom, deo Ammonitarum, Kemosh, deo Moabitarum, et Astarte, Sidoniorum dea.

Commentum religionis nationalis, cuius unica sedes sit Hierosolymis, tantum oritur dum regnat Ezechias (727-698), sed quibus impellentibus non certo scitur ; fortasse est motus dissentientium sacerdotum et prophetarum, qui idololatriam et iniustitiam sociale temporis Assyriorum reprobabant. Monotheismus Iudæorum constitutus est ut cultus unius Dei, in uno loco, i.e. in Templo Hierosolymitano. His inceptoribus utile videtur singularitatem populi Iudæi scripto fulcire. In hunc scopum, septimo sæculo, Hierosolymis conscribi cœptæ sunt res ab Hebræis gestæ, quales in Bibliis Hebraicis leguntur. Narratores vero veritatem historicam vix curant ; tantum inculcare volunt quantas pœnas solvant reges et populus quotiescumque YHWH neglegunt aliosque deos colunt.


Ezechias primus audet infestare excelsa loca omniaque signa idololatriæ ; præterea fœdus cum Assyriis rumpere conatur ; his duabus de causis in Bibliis Hebraicis laudatur. Cum magna perturbatio orta sit in Assyria post Sargo II mortem (a. 705), Ezechias, hac necopinata occasione nactus, rebellare statuit. Cum vicinis gentibus coniurationem contra Assyrios facit, quam sustentat Ægyptus. Ad hoc consilium ineundum petit subsidium YHWH eiusque religiosorum. Exercitum parat, oppida munit, frumentum et cibum condit. Hierosolymis, cum nullus fons maneat intra

mœnia, specum 512 metra longum curat fodendum, quo aqua fontis Gihon ad puteum Siloe intra muros ducatur.

Sennacherib autem, Sargo II filius, rebus in suo imperio restitutis, anno 701 aggreditur regnum Iuda. Omnes arces et oppida expugnat atque Hierosolyma munimentis ita circumdat ut nemo neque intrare neque exire possit ; Ezechias captivus est in sua urbe, quæ tamen non expugnatur ; fertiles vero agri partis occidentalis regni tribuuntur civitatibus Philistinis.

Tribus annis post hanc cladem, Ezechias mortuo, eius filius, Manasse, novum fœdus cum Assyriis facit. In monumentis Assurbanipal, Sennacherib successoris, Manasse numeratur inter vassalos, qui dona mittunt Assyriosque adiuvant ad Ægyptum bello subigendam. Iuda tunc participat Assyriæ commercium internationale : magnam copiam olei generat atque Assyriis tradit thus aliasque exoticas merces, quas Arabes caravanis usque Gazam apportant ; dromades enim ab eis tunc iam multum adhibentur. Gaza, quo convergunt deserti Arabici semitæ, factum est Assyriæ teloneum. Uxor Manasse, Meshullemet, videtur esse Araba atque fortasse est origo mythicæ historiæ Reginæ Sabææ, quam Salomon convenisse narratur. ❖

(continuabitur)





## DE NOVIS LIBRIS

M.L. KALLELA, E. PALMÉN, *Clavis Latina I*, I. Textus et Cultura, II. Grammatica et exercitia, Helsinki, Oy Finn Lectura / Opetushallitus, 2004.


Ecce Finnis pueris nova methodus scholaris, qua linguam Latinam modo vivo et iucundo discant. Nam hi duo libri non solum scienter sunt conscripti, sed etiam ita, ut animum tangant hodiernorum discipulorum. Exempli gratia, si agitur de schola Romana, discipulus in exercitationibus interrogatur de sua vita scholari atque imago hodiernæ scholæ ostenditur, in qua nomina modernorum instrumentorum indicantur. Similiter, ubi de thermis Romanis agitur, auctores facere non potuerunt quin saunam describerent Finnis acceptissimam. Sic neologismis etiam ostenditur vita linguæ Latinæ. Insuper colloquia Latina opportune proponuntur, quibus discipulus Latine loqui assuefiat itaque nostram communem hereditatem pleniter valeat colere.

ISBN 951-792-142-X, 951-792-165-9

A. FLOUR, *Ambulationis Latinæ secundum litus Belgicum altera pars*, Rollarii apud auctorem, 2003.

Andreas Flour, qui multos ante annos fuit circuli Latini Bruxellensis particeps, mecum anno 1994 cooperatus est ad novam editionem *Ambulationis Latinæ secundum litus Belgicum* parandam. Idem postea perrexit adnotationes etymologicas et historicas diligenter colligere, quas in lucem nunc edere statuit. Hæc *Ambulationis* altera pars primam perutiliter complet. G.L.

A. Flour, Noordstraat, 169 / 4 - B-8800 Roeselare





# *In hoc fasciculo !*



- Iam ante viginti annos... [G. Licoppe] p. 1*  
*De rationibus variis quibus homines verba Latina*  
*ætate litterarum renatarum enuntiabant [M. Minkova, T. Tunberg] p. 2*  
*De poesi rhytmica [T. Pekkanen] p. 8*  
*Ignota atque inedita epistula ad Gasparem Barlæum poetam scripta [Th. Sacré] p. 11*  
*De Bibliis Hebraicis controversia (III) [G. Licoppe] p. 14*  
*Bibliotheca Latina p. 16*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ



a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30 in Museo Domus  
Erasmianæ (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles). Si quis plura scire cupit :  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 & Telecop. + 32 (0) 2.735.51.32. g.licoppe@skynet.be



## ARCHÆOLOGIA TEXTVVM LATINORVM TEMPORIS RENASCENTIÆ

IOHANNES-MARCUS MANDOSIO (Schola practica altiorum studiorum, Parisiis) in  
Museo Domus Erasmianæ autumnno tempore offeret quinque sessiones, quibus tex-  
tus Latinos leget et commentabitur in ipsis veteribus libris aut manuscriptis. Hoc  
seminarium placebit non solum philologis, sed etiam palæographis, pædagogis et  
philosophis. Saturni diebus a hora 10 ad 12.30. Prænotatio necessaria : tel. + 32 (0) 2  
521.13.83. erasmusav@skynet.be